



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

Cap. I. De approbatione Confessariorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

TRACTATUS V.
RESOLUTIONES QUÆSTIO-
num Pastoralium.
DE SACRAMENTO
Pœnitentiæ.
CAPUT I.

De approbatione Confessariorum.

QUAERO. *An habens beneficium Parochiale in una Diœcesi, possit in alia Diœcesi audire confessiones ex consensu Parochorum illius Diœcesis?*
 Resp. *Ex vi juris communis posse, quia habens beneficium parochiale (actualiter scilicet, & quod jam non dimiserit) reputatur idoneus simpliciter etiã pro quocumque loco: ita ut ubique sit proxime capax jurisdictionis, ideoque eam possunt Parochi etiam alterius Diœcesis delegare extraneo Parocho, tamquam idoneo & approbato. Quare dum dicit Trident. sess. 23. cap. 15. eũ qui habet beneficium parochiale, idoneum esse ad audiendas confessiones, non restringit ad unam Diœcesim; quinimo æquiparat eum illi, qui ab*
 Ff Episco-

Episcopis est approbatus, sive à cuiuslibet Diœcesis Episcopo. Et hanc sese sententiam Theologorum omnium ac Iuris peritorum Salmant. attestatur Suarez, & est satis communis opinio.

Hinc sequitur Parochos in confinio duorum Episcopatum agentes, sese mutuò posse advocare in auxilium confessionum audiendarum suorum subditorum, communicata sibi mutuò jurisdictione.

Dixi *id posse ex vi juris communis* nam posset Episcopus hanc delegationem impedire, & statutum facere, ut nemo in suo Episcopatu possit confessiones audire, nisi à se approbatus; præcipere, ut nullus Parochus possit jurisdictionem suam concedere, nisi taliter approbato. Id verò tunc observandum foret, atque hanc esse primam aliquorum Episcoporum asseritur, cui omnino standum est, maximè ubi per decretum publicum constat.

2. *QUAERO. An approbatus ab Episcopo simpliciter & absolutè (hoc est non restrictivè ad hunc vel illi locum,*

conferatur

consentur approbatus pro tota Ecclesia: i-
ta ut possit audire confessiones ubique ter-
rarum, si modo ei licentia detur à Paro-
chis. Resp. 1. probabilem esse affirma-
tivam partem, quam cum Suarez tenēt
multi Theologi. Iterum tamen hic ad-
vertendum, an Diœcesani statutum a-
liquod non sit, prohibens licentiam
dari, nisi approbatis à se, ut jam dixi.
Resp. 2. negativam partem securio-
rem esse, ac multis etiam Theologis
placere. Illam docent Emm Sà, Rodri-
guez, Miranda, Vasquez, & alii. Et vi-
detur fundamentum habere in Conc.
Trident, dicente, Sacerdotem ut con-
fessiones audiat, debere approbari ab
Episcopis. Ubi dum dicit, ab Episco-
po, & non ab Episcopo, videtur singu-
lorum Episcoporum approbationem
requirere pro quolibet Episcopatu.
Unde & Pontifices communiter dum
Religiosis concedunt potestatem au-
diendi confessiones, adjiciunt condi-
tionem, si nimirum sint approbati ab
ordinario loci; atque hoc non intelli-
gitur de quolibet Episc. confuse, sed

de Episc. loci ubi audiunt confessiones. Ergo similiter dicendum, debere approbari Sacerdotem ab Episcopo Diœcesis, in qua audire vult Confessiones. Neque eadem est ratio de habente Parochiale beneficium. Ratio enim diversitatis esse potest, quia approbatio annexa Curæ Pastoralis, est antiqui juris, & est derivata in Parochos ab Ecclesia universalis: modus autem approbationis simplicium Sacerdotum est à jure novo Concilii Tridentini; qui eam committit Episcopis.

Refertur quoque ad hanc rem, Congregationem Cardinalium consultam per Archiepiscopum Valentinum: an approbatus per alium, quam per Episcopum Valentinum censeatur approbatus in Diœcesi *Valentina*, respondisse negativè. Cujus rei mentionem facit *Rodriguez* in explicatione Bullæ cruciatæ. Sed, ut verum fatear, multæ resolutiones Congregationis referuntur hinc inde ab Auctoribus diversæ opinionis hac in materia, quæ parum authenticæ videntur, aut non ita firmè

fidei. C
mam a
ster, illi
mibi in
pro D
quod
mandat
el extr
illis qu
sigillo &
dinalis
Congre
tum m
3. Qu
Coadju
approba
po dete
mora f
tes in D
1624. &
Revere
cario
subject
sente.
fidei

fidei. Quod si super jam dictis novissimam aliquam resolutionem datam constet, illi standum; nulla certa haecenus mihi innotuit. Nota verò generaliter pro Declarationibus Cardinalium, quod *Vrbanus 8. 2. Aug.* anno 1631. mandavit illis nullam fidem in iudicio vel extra à quoquam adhibendam, nisi illis quæ in authentica forma solito sigillo & subscriptione Eminent. Cardinalis Præfecti & Secretarii sacre Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. Ita refert *Diana* 2. tract. 14. Resol. 23.

3. *QUAERO, Quid de Sacellanis, sive Coadjutoribus Pastorum, qui tantum approbantur pro hoc vel illo loco ab Episcopo determinato? Occasione ipsorum motæ fuerunt quæstiones subsequentes in Diocesi nostra Leodiensi anno 1624. & præsentatæ Cl. & admodum Reverendo D. Ioanni à Chokier Vicario Generali: Responsionesque subjectæ ab eo signatæ sunt, me præsentante.*